Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ad Jeremiam dicens. Hec dicit dominus. Si irritum potes facere pactum meum de die et pactum meum de nocte ut non sit dies et nox in tempore suo et pactum meum irritum facere possit de seruo meo dauid ut non sit ex eo filius qui regnet in throno eius et leuitis sacerdotibus ministris meis. Quomodo non possunt stellae caeli et metiri arenam maris sic multiplicabo semen dauid seruum meum et leuitas ministros meos. Et factum est uerbum domini ad Jeremiam dicens. Nonne audisti quid populus hic locutus sit dicens. Duas cognationes quas elegerat dominus abiecit et populum meum despexerunt et ne quasi sit ultra gens coram eis. Hec dicit dominus. Si pactum meum non diei et nocti et leges caeli et terrae non posuissem sed et semen iacob et dauid seruum meum propiciabor ut non assumam de semine eius principes semini abraham ysaac et iacob reducam enim captiuos eorum et miserebor eis.

XXXIIII

Verbum quod factum est ad Jeremiam a domino cum nabuchodonosor rex babylonis et omnis exercitus eius omnis uniuersaque regna terrae quae erant sub potestate manus eius et omnes populi pugnabant contra hierusalem et contra omnes urbes eius dicens. Hec dicit dominus deus israhel. Vade et loquere ad sedechiam regem iuda et dices ad eum. Hec dicit dominus. Ecce ego tradam ciuitatem hanc in manu regis babylonis et succendet eam igni et tu non effugies de manu eius. Sed apprehensione capieris et in manu eius traderis et oculi tui oculos regis babylonis uidebunt et os eius ore tuo loquetur et in babylonem ibis. Attamen audi uerbum domini sedechia rex iuda. Hec dicit dominus de te. Non morieris gladio. Sed in pace morieris et sicut combustiones patrum tuorum regum priorum qui fuerunt ante te sic comburent te et ne dicent plangent te quia uae domine. Quia ego locutus sum dicit dominus. Et locutus est Jeremias propheta ad sedechiam regem iuda omnia uerba hec in hierusalem. Et exercitus regis babylonis pugnabat contra hierusalem et contra omnes urbes eius reliquas scilicet contra lachis et contra azeca. Hec enim superuenerant de ciuitatibus iuda munitissimae. Verbum quod factum est ad Jeremiam a domino postquam pepigit rex sedechias fedus cum omni populo in hierusalem predicans ut dimittere unusquisque seruum suum et unusquisque ancillam suam hebreum et hebream liberos et nequam quisquam seruiret iudeo fratri suo. Audierunt igitur omnes principes et uniuersus populus qui ierant pactum ut dimittent unusquisque seruum suum et ancillam suam liberos et ne seruirent iudeo fratri eius. Audierunt igitur et dimiserunt. Et postea iussit et reuocauerunt seruos et ancillas quas dimiserant et subiugauerunt in famulos et famulas. Factum est uerbum domini ad Jeremiam a domino dicens. Hec dicit dominus deus israhel. Ego pepigi fedus cum patribus uestris die qua eduxi eos de terra egypti de domo seruitutis dicens. Cum impleti fuerint septem anni dimittite unusquisque fratrem suum hebreum qui uendutus est tibi et seruiet tibi sex annis et dimittes eum a te liberum. Et audiestis me patres uestri et inclinauerunt aurem suam. Et cum essetis uos hodie et fecistis quod rectum est coram me in predicando unusquisque libertatem proximo suo et iuistis pactum in conspectu meo in domo in qua inuocatum est nomen meum super eam et reuersi estis et polluistis nomen meum et reduxistis unusquisque seruum suum et unusquisque ancillam suam quam dimiserat ut essent uobis seruus et ancilla. Propterea hec dicit dominus uos non audistis me ut predicaretis libertatem unusquisque fratri suo et unusquisque amico suo. Ecce ego predicabo uobis libertatem ait dominus gladio et fame et pestilentia et dabo uos in commotionem cunctis regnis terrae. Et dabo uiros qui preuaricati sunt fedus meum et non obseruauerunt uerba federis quod fecerunt coram me in diuisione uitulae et transierunt per diuisiones uitulae et dabo eos in manu inimicorum suorum et in manu querentium animas eorum et erit morticinum eorum in escam uolatilibus caeli et bestiis terrae. Et sedechiam regem iuda et principes

lib 8 ay in nerumberga claustri